

ob exiguitatem reddituum et penuriam sacerdotum, plerumque proprio carent sacerdote. Ut autem menti fundatorum, quantum fieri potest, satisfiat, parochi, obtenta binandi facultate, diebus dominicis et festis binam dicunt missam, sacrum matutinale et sacrum summum pro populo et in utroque sacro traditur homilia sive instructio cathechetica, pro quo peculiari labore sive industria parochi hucusque ex ejusmodi foundationibus certam recipiunt remunerationem. Sunt et alii parochi, qui diebus dominicis et festis binam dicunt missam, partim in ecclesiis parochialibus partim in filialibus, quia necessitas moralis id exigit. Non pauci parochi ad ecclesias dissitas per vias asperas tempore aestus, frigoris et nivis tendunt, qui infra sacrum simul tradunt doctrinam christianam.

Quaeritur igitur:

I. *Utrum parochi, qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis binam dicunt missam et pro fundatoribus primissariarum applicant, salarium ex fundo primissariarum pro peculiari labore percipere possint?*

II. *Utrum parochi, qui pro necessitate circumstantiarum diebus dominicis et festis, sive in ecclesia parochiali sive filiali dissita, bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant?*

In Cameracen. missae pro populo diei 25. Septembris 1858, ad quam appellat episcopus, vetitum omnino deprehenditur parochis binandi facultate donatis pro secunda missa eleemosynam recipere, quamvis, quando parochia una sit, ab ea pro populo applicanda eximantur. Id quidem pluries alibi decrevit S. Congregatio, praesertim in Vintimilien. 19. Decembris 1835. Ad rem fortasse facere

videtur casus propositus in Brixien. relata inter summaria precum die 3. Martii 1855. Mos enim illa in dioecesi invaluerat, ut a quibusdam piis sodalitiis aut a praefectis fabricae ecclesiae retribueretur parochi peculiari eleemosyna pro missa diebus dominicis aut festis de praecepto celebranda vel canenda; idque aliquando sine onere specialis applicationis. Hinc quaerebat episcopus: utrum haec praxis, ubi ab immemorabili consuetudine firmata invenitur, tolerari possit, saltem pro diebus festis, quibus offertur eleemosyna absque obligatione determinatae applicationis. S. autem Congregatio censuit rescribendum: „Consuetudinem juxta exposita esse reprobendam et servandam esse constitutionem Benedicti XIV: *Cum semper oblatas*. Ceterum in hoc casu de missa parochiali tantum agebatur.

Sed ad propositam speciem quod attinet, cum eleemosyna non ratione celebrationis aut applicationis secundae missae rependi videatur, sed titulo remunerationis pro specialis labore ac industria, decernendum erit ab E.E. VV., num prohibitio, de qua supra, comprehendat etiam id quod ex hujusmodi titulo offerri solet?

Ad rem hanc cohonestandam in medium profertur declaratio S. Congregationis Rituum in Monasterien. 11 Junii 1645; etiam relata fuit in cit. Cameracen. Proponebatur ibi: „Parochus Heistermacen. in Kecken hujus dioecesis propter necessitatem populi licentiam obtinuit diebus dominicis et festis bis celebrandi in ecclesia parochiali, et pro hoc officio suscepto a parochianis, qui alias multo majoribus sumptibus, quod non possunt, sacellum sustentare tenerentur, remunerationem quamdam accipit. Quaeritur: num respectu hujus remunerationis obligetur etiam hanc secundam missam,

de cujus applicatione nihil stipulatum est, pro populo sive parochianis remunerationem praebentibus applicare pro futuro, uti ipsam missam parochialem, numquam pro praeterito, propter omissam bona fide hanc applicationem aliquid restituere teneatur?

II. Deinde saepe in hac dioecesi contingit propter latitudinem parochiarum, quod in iis sacella inveniantur, ubi dominicis et festis diebus sive ex fundatione sive ex contractu parochi et parochianorum missa celebrari debeat pro incolarum ab ecclesia parochiali remotorum, in primis seniorum et infirmorum necessitate vel commoditate. Viget consuetudo, quod si per fundationem vel contractum de applicando sacro ad certam intentionem nihil statutum sit, in ejusmodi casu celebrans pro alio stipendio applicet vel ad propriam intentionem. Quaeritur: num haec consuetudo, de cujus legalitate dubitatur, pro futuro tempore permittenda et num pro praeterito aliquid exinde restituendum sit ab iis qui bona fide ea usi sint?

Sancta Congregatio respondit ad I.: *Negative in casu*. Ad II.: *Posse permitti*.

„Sacra etc. respondit: *Posse permitti prudenti arbitrio episcopi aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione missae*.

Quare etc.

Die 23. Martii 1861.

(Anal. J. P. 1863. p. 2275.)

c) *Accipere possunt parochi in die, in quo pro populo missam applicare debent?*

Licet congrua sit exigua nec aliis modis augeri valeat ad praescriptam quantitatem, nihilominus parochi, quamdiu curam retinent, applicare tenentur,

ut controversia intimius scrutata statuit Sac. Congregatio in Civitatis Castellanae 24. Augusti 1628. lib. 13. Decret. p. 62, et in Forosempronien. Missae Parochialis propositae die 25. Januarii et resoluta die 8. Februarii 1716. in qua disputato dubio:

An Parochi, de quibus agitur, non habentes congruam teneantur applicare Missam pro populo saltem diebus festis, ita ut sint cogendi? responsum fuit: *Affirmative* et dentur Decreta alias hac de re edita et signanter in Civitatis Castellanae. Attenta vero egestate id solum indulsit Sacra Congregatio: Scilicet posse ab iis Parochis ad egestatem sublevandam stipendium accipi, licet diebus festis praebetur, S. Sacrificium, quod pro populo celebrandum fuerat, offeri pro illo, qui stipendium tradiderit, ea tamen conditione ut alio hebdomadae die pro populo illas offerentes suo muneri satisfaciant ut *Bened. XIV.* in institut. 10. num. 6. refert hanc mentem fuisse Sac. Congregationis in Ostien. 29. Januarii 1724., et ipse Pontifex factus expresse declaravit in alleg. Constit.: *Cum semper oblatas* §. 7.

(Ex resol. S. C. C. diei 17. Julii 1702. *Comen.*)

Oveten.

In relatione status suae ecclesiae, quam S. Congregationi nuper transmissit Episcopus Oveten. narravit, plura in ea Dioecesi reperiri parochialia beneficia, quae tenues adeo habent redditus, ut ne ad congruam quidem Parochorum sustentationem sufficiant. Retulit idcirco invaluisse apud nonnullos opinionem, ut, si iidem Parochi diebus festis eleemosynam pro Missa ab aliquo Benefactore receperint, possint iis diebus (dominicis tantum exceptis) et pro Benefactore, qui eleemosynam tradidit, et pro Populo Missam applicare.

Id ergo EE. PP. referendum censuit Episcopus, ut quid aut permittendum aut reprobandum esset consulto definirent.

Non abs re proinde erit nonnulla animadvertere, quae Parochorum onus, et Missae applicationem respiciunt.

Notum est jure divino mandatum fuisse Animarum Pastoribus, salutaribus praeceptis oves suas instruere et pro iis Sacrificium offerre. Hoc sane innuunt verba Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 2. de Reform.*, quibus non solum Missae celebratio sed etiam applicatio fuit injuncta, ita quidem ut Parochus non possit pro hujusmodi applicatione eleemosynam accipere; *Fagnan. in cap. Fraternalitatem de Sepulturis. num. 93. et 94.* Sacra haec Congregatio constanter rejecit Parochorum quaerelas, qui onus applicationis subire detrectabant, ut in *Civitate Castellanae 26. Augusti 1628, in Hydruntina 13. Februarii 1639, in Romana 17. Julii 1694, in Mileten. 10. Maji, et Cremonen. 20. Decembris 1692.* Et sa. mem. Benedictus XIV. in Constitutione: *Cum semper oblatas 19. Augusti 1744* Episcopis expresse injungit, ut reprobatis inanibus interpretationibus hujusmodi oneri in suis respective Dioecibus adimplere curent, *cum relata Concilii verba satis clara et perspicua sint, cumque praedicta Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privative praeposita constanter edixerit, eos, quibus Animarum Cura demandata est, non modo Sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro Populo sibi commisso applicare debere nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse.*

Quaesitum olim fuit, quibus diebus Parochi Missam pro Populo applicare deberent, et quamvis invicta fuisset

distinctio, ut qui pinguioribus redditibus ditati erant, ad quotidianam applicationem, qui vero tenues habeant redditus, festis tantum diebus ad applicationem tenerentur, nihilominus ad tollendas Parochorum quaestiones super reddituum quantitate, declaravit laudatus Pontifex in memorata Constitutione: *satis esse posse, dum ii, qui Animarum Curam exercent, Sacrificium Missae pro Populo celebrent, atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de praeepto, cum praedicti domicilii aliique festi dies ii sint, in quibus juxta praeeptum Concilii Tridentini quilibet Animarum Curae Praepositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet.*

Dubitatum praeterea fuit in *Hortana* an sufficeret Missa conventualis, quae a Capitulo Cathedralis quotidie pro Populo applicabatur, itaut Parochus, qui ejusdem quoque Cathedralis erat Canonicus, ab applicatione Sacrificii eximi posse: *An Canonicus Parochus Ecclesiae Cathedralis Hortanae teneatur applicare Missam pro populo omnibus festis, vel potius sufficiat Missa conventualis, quae a Capitulo per turnum quotidie applicata fuit, et applicatur pro Populo?*

Die 8. Augusti 1744 responsum prodit:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ab onere applicationis non eximuntur Parochi sive quia parochialis Ecclesia incertos habeat redditus, *Antonell. de juribus Clericor. lib. 2. part. 6. n. 2.*, sive quia redditus Parochiae adeo tenues sint, ut ne ad congruam quidem Rectoris sufficiant, *Clericat. discord. foren. discord. 29. de benefic. sub n. 43., Ursaya instit. crimin. lib. 1. tit. 10. §. 2. n. 136.* cum non juxta quantitatem reddituum, sed ratione officii teneantur Parochi Missam pro Populo

applicare; *Ferrar. in Bibliothec. verb. Missae Sacrificium art. 3. n. 8.* et consonant S. Congregationis decreta in *Nonantulana 30. Aug. 1698, in Pistorien. seu Praten. 14. Februarii 1699*, quae quidem decreta confirmata postea fuerunt a sa. mem. Innocentio XII. per Literas Apostolicas sub datum diei 24. Aprilis 1699. (Vd. supra pag. 175.) Quare subsequatae sunt postea aliae istius S. Congregationis resolutiones in *Forosempronien. Missae Parochialis 8. Febr. 1716. lib. 66. decret. pag. 55. et in Ostien. Parochiae Castri Romani 29. Januarii 1724 lib. 74. decret. pag. 38.*

Ceterum ad consulendum Parochorum inopiae laudatus Pontifex Benedictus XIV. opportune providit, ut Parochi egentes eleemosynam diebus festis recipere possint et Missam applicare pro Benefactore, translata tamen ad aliam diem infra hebdomadam applicatione Missae pro Populo; proindeque in memorata Constitutione *Cum semper* Episcopis facultatem tribuit dispensandi cum Parochis, quos revera pauperes esse cognoverint, *ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant dummodo ad necessariam Populi communitatem in ipsa Ecclesia Parochiali celebrent ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus festis infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.*

Haec anotanda erant quoad onus Parochis inhaerens applicandi Missam pro Populo, praecisius tamen ad rem, de qua agitur, nonnulla adhuc animadvertenda supersunt. Non defuere olim Theologi et Canonistae, qui licet

incruenti Sacrificii fructum, et ut ajunt *in actu secundo*, finitum esse professi fuerint, nihilominus existimarunt, quod pluribus applicari posset et singulis omnibus aequae prodesset, ac si unum tantum applicatum. Hinc arguebant, licere post acceptam a pluribus eleemosynam omnibus satisfacere per unicum Sacrificium, nominatim et expresse applicatum pro singulis, qui eleemosynam tradiderant. Vid. *Fagnan. in Cap. Fraternalitatem de Sepulturis*. Alii vero considerantes triplicem Sacrificii fructum, ut apud *Sot. de just. et jur. lib. 3. quaest. 2. art. 2., Cordub. l. 1. quaest. 3. not. 4., Navarr. cap. 25. numer. 92., Card. Bonna in tract. ascetic. de Sacrif. Miss. cap. 1. §. 4.* unum nempe *generalem*, seu ut ajunt *generalissimum*, qui in universam redundat Ecclesiam et cujus omnes Fideles participes fiunt, alium vero *medium*, seu *specialem*, de quo illi participiant, pro quibus nominatim offertur; tertium denique *specialis*, qui ab aliquibus *specialis* dicitur, et de quo ipse sacerdos particeps evadit; admissa hac triplici distinctione affirmare non dubitarunt, tertium hunc fructum *specialissimum* cedi et a Sacerdote offerente alteri renuntiari posse et pro hujusmodi cessione et renuntiatione novam eleemosynam a Sacerdote percipi.

Has porro Sententias, quas san. mem. Benedictus XIV. in opere de *Synod. Dioeces. lib. 5. cap. 8. numer. 4.* subdolas artes appellat, unice ab avaritia excogitatas, et quae a Saeculo XIII. in Ecclesiam irrepserant, rejecit abrogavitque Concilium Lambettense celebratum anno 1281 apud *Harduinum tom. 7. collect. col. 862. decernen. cap. 2.* in hunc modum: *Nec credat celebrans, se dicendo Missam unam posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque promisit specialiter et in solidum celebrare. Absit enim, ne a quoquam catholico creda-*

tur, tantum intentione prodesse Missam unam devote celebratam mille hominibus, pro quibus forsitan dicitur, quantum si mille Missae pro eis devotione simili canerentur. Licet ipsum Sacrificium, quod est Christus, sit infinitae virtutis, non tamen in Sacrificio suae immensitatis summa plenitudinem operatur, alioquin pro uno mortuo nunquam oporteret nisi unam Missam dicere. Operatur enim in hujusmodi mysteriis distributione certa suae plenitudinis, quam ipse eisdem lege infatibili alligavit. Nihilominus initio etiam saeculi XVI pravas hujusmodi opiniones nondum fuisse eliminatas constat ex Norimbergensi Germanorum Principum conventu, qui apud Adrianum VI. conquestus est, quod Sacerdotes unius diei Missas, ad quas foundationes seu annuae recordationis jure celebrandas obligantur, non semel, sed quater, quinque pluriesque venundant, unaque Missa duobus, tribus aut pluribus ecclesiasticis beneficiis satisfacere praesumunt.

Potentiori igitur opus fuit remedio ad hanc corruptelam eradicandam illudque opportune praestitit san. mem. Urbanus VIII., dum anno 1625 approbavit decreta a Sancta Congregatione Concilii edita, quorum unum numero III. his verbis conceptum erat: *Sacra Congregatio sub obtestatione divini iudicis aut mandat ac praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur, quod ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerunt, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quinimmo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.* Altero vero num. IV. ita fuerat expositum: *Sacra Congregatio revocat privilegia et indulta omnia quibusvis Personis ecclesiasticis, ac Locis piis, tam Saecularibus quam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti, quamcumque ob causam*

concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum et Anniversariorum celebratione aut aliquibus collectis seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Haec tamen omnia tanti non fuerunt ponderis, ut impedirent, quominus laxae quaedam ea de re opiniones sensim irreperant; quas eadem Sac. Congregatio reprobavit et Summi Pontifices postea damnarunt. Si quidem nonnulli Auctores scriptis etiam typis traditis asserunt, Sacerdoti Missam pro alio recepta eleemosyna celebranti, licitum esse eleemosynam quoque accipere ab altero cui applicet partem fructus seu valoris Sacrificii ipsimet Sacerdoti debitam, (nempe *specialem* aut *specialissimam*) et hunc casum non esse comprehensum sub decreto S. Congregationis Concilii prohibente duplex pro unica Missa stipendium recipi. Verum S. Congregatio die 25. Januarii 1659. approbante san. mem. Alexandro VII. declaravit:

Nulli Sacerdoti licitum esse praefata ratione sive praetextu aliam eleemosynam accipere praeter illam quam accepit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur: ac proinde casum hunc esse comprehensum in decretis alias per eandem S. Congregationem Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro unica Missa recipiatur. Fagnan. loc. sup. cit. sub num. 96.

Similiter eodem anno, referente pariter Fagnano, qui munere Secretarii S. Congregationis tunc fungebatur loc. cit. sub. 97., auctores aliqui animadvertentes fructum *medium* Sacrificii, de quo potest Sacerdos pro libito disponere, dividi in *satisfactorium* et *impetratorium*, in ea fuerunt sententia, ut si quis Sacerdoti daret eleemosynam pro applicatione fructus satis-

factorii et alius daret eleemosynam pro applicatione fructus *impetratorii*, possit Sacerdos unica Missa satisfacere utrique obligationi applicando cuilibet fructum petitem. Propositum autem fuit dubium: An sacerdos, qui unum stipendium accepit pro celebratione Missae ex gr. pro defuncto et sic cum obligatione applicandi fructum *satisfactorium*, et aliud stipendium pro celebratione Missae ex gr. pro infirmo et sic cum obligatione applicandi fructum *impetratorium*, possit unica Missa utrique obligationi satisfacere applicando defuncto *satisfactorium* et infirmo *impetratorium* et an in hoc casu locum habeat decretum S. Congregationis Concilii *de celebr. Miss.*? Sancta Congregatio die 13. Decembris 1659 respondit ad primam partem: *non posse satisfacere*; quo vero ad secundam: *habere locum.*

Hinc inter propositiones ab Alexandro VII. die 25. Septembris anni 1665 damnatas haec recensetur, nimirum VIII.: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite recipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondenti, idque post decretum Urbani VIII. Ac praeterea alia X.: Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Quoniam vero priora S. Congregationis decreta loquebantur de Sacerdotibus accipientibus eleemosynas manuales, non autem explicite de obtinentibus Beneficia ecclesiastica, idcirco inter caetera dubia super iisdem decretis excitata quaesitum fuit:

An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellaniae, Legati aut Salarium, possint

etiam manuales eleemosynas pro Missis votivis aut Defunctorum recipere et unico Missae Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Et S. Congregatio in responsionibus ad dubia, quas san. mem. Innocent. XII. adprobavit, respondit:

Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellaniae, Legati aut Salarium, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Hisce praemissis dissimulandum non est auctores, qui scripserunt ante vulgatissimam Benedicti XIV. constitutionem *Cum semper oblatas*, sententiam pro Parochis fuisse amplexos. Hos inter recensere liceat Franciscum Sylviium in 3 part. D. Thomae qu. 83. art. 1. quaest. 17. ubi quaerit, utrum qui pro pluribus celebrare debet satisfaciat celebrando *unam Missam pro omnibus?* atque haec habet inter caetera: *Quamvis autem Parochus obligatus sit celebrare pro suo Populo dominicis praesertim et festis diebus, non videtur tamen illicitum, si aliquando stipendium accipiat ab uno particulari, qui pro se cupit celebrari. Nec obstat, quod a Populo sive ex decimis sive aliunde alatur.*

Parocho enim debentur proventus pastorales non precise, ut celebret ad intentionem Populi sed ratione totius officii pastoralis. Tenetur quidem omnibus festis et dominicis Missam in Ecclesia Parochiali facere, sed aliud est teneri ad eam dicendam, ut Parochiani illam possint audire, aliud vero ad offerendum particulariter pro illo. Postea vero nonnullis relatis auctoribus, quibus visum est, Parochum non teneri omnibus Festis et Dominicis Missam facere ad intentionem Populi, sic pergit:

Pro regula tamen ordinaria servandum est, ut quibus diebus Sacerdotes tenentur Missas celebrare ratione sui Beneficii, non possint eleemosynas ab aliis accipiendo una Missa utrique obligationi satisfacere.

Ac demum addit, cavendum esse, ne Parochi frequenter in festis et dominicis stipendium accipiant ab aliquo particulari. Cum enim facile possit determinari, quoties obligentur ad celebrationem pro suo Populo, non debent periculo se exponere.

Verum non est praetereundus Fagnanus, qui loc. sup. cit. sub. num. 94. relato Concilii Tridentini decreto sess. 25. cap. 1. de Reform. adigente Parochos ad offerendum sacrificium pro ovibus suis, ex eo sequi affirmat, non posse Parochum eleemosynam accipere iis diebus, quibus illud tenetur applicare pro Populo, quia scilicet fructus medius sacrificii jam reperitur alteri debitus. Idque praeterea confirmat ex Concilio provinciali Mediolanensi IV. ab Apostolica Sede adprobata tit. de his, quae pertinent ad Sanctissimum Missae Sacrific., ubi prohibetur Parochis, ne Dominicis aliisque diebus, quibus tenentur celebrare pro Populo, aliud suscipiant Missarum celebrandarum onus.

Supercessit denique Constitutio Sa. Mem. Benedicti XIV. Cum semper oblatas, ubi de re tota mature agitur et cuilibet dubio egregie prospicitur. Quam itaque indulgentiam mereantur Parochi in praesenti casu et quomodo ipsorum inopia providendum sit, viderint EE. PP., a quibus quaeritur:

An et quomodo sit locus applicationi Missae pro Populo in casu?

S. C. resp.:

Episcopus se gerat ad formam Constitutionis san. mem. Benedicti XIV. incipien.: Cum semper oblatas.

Die 22. Jan. et 26. Febr. 1774.

d) Nullum Stip. debetur.

Missas pro Populo singulis diebus festis absque ullo emolumento applicare tenetur Archipresbyter Animarum curae praepositus. Fagnan. in cap. Fratritatem de Sepultur. u. 93. et 95., Barbos. de Offic. et potest. Paroch. part. 1. cap. 11. num. 11.

(Ex resol. S. C. C. diei 28. Aug. 1773. Nepesina.)

Missam pro Populo absque ulla eleemosyna quilibet Parochus applicare tenetur. Fagnan. in cap.: Fratritatem de Sepulturis num. 93. et 95. Barbos. de Offic. et post Paroch. part. 1. cap. 11. num. 11.

(Ex resol. S. C. C. diei 30. Maii 1772.)

Missas pro populo a Parocho ratione muneris applicandas esse. S. C. C. 15. Junii 1816. Interamnen.

Missas pro populo Parochus celebrare tenetur ratione muneris pastoralis ac etiam sine stipendio.

S. C. C. 23. Novembris 1816. Casalen.

Missas pro Populo Parochus ratione pastoralis officii celebrare easque etiam sine stipendio applicare debet, ut ex Constit. Benedicti XIV.: Cum semper oblatas docuit S. Congregatio in Neocastren. Missae pro Populo 26. Januarii 1771 et in Cassanen. Missae Conventualis et pro Populo 22. Novembris 1704.

(Ex resol. S. C. C. diei 18. Mart. 1809. Praenestina.)

Parochus missam pro populo ex proprio officio celebrare tenetur, ut statuit S. C. in Sutrina 6. Martii 1785.

(Ex resol. S. C. C. 16. Febr. 1805. Hortana.)

Non redditum causa, sed ratione officii applicare tenentur Parochi Missam pro Populo; Ferrar. verb.: Mis-

sae sacrificium art. 3. num. 8., Clericat. Discord. forens. 29. de Benefic. num. 43.

(Ex resol. S. C. C. diei 27. Julii 1789. Eginaten.)

Missas pro Populo ipse parochus tenetur applicare ratione officii, nec proinde congruam minuunt ut ex Monacell. in formul. legal. tom. 1. formul. 2. num. 4.

(Ex resol. S. C. C. diei 27. Junii 1807. Sabinen.)

Missa pro populo, licet celebranda sit ratione officii, attamen si congruam non minuit, de ea quidem ratio habenda est ad taxandam atque augendam congruam, ut statuit S. C. in Asculana Augumenti Congruae §. 14. et sequ.

(Ibid.)

22) Patronus beneficii non potest sibi retinere partem stipendii, quod Celebranti dandum praescripserat testator.

Vd.: Stipend. (pro missis fund. totum a fundatore etc.; conventio.)

Patronus, qui exequitur tantum est, non potest sibi retinere aliquam portionem stipendii, quod Capellanus secuta nominatione statim acquiritur, ut tradit Simon de Petris de interpret. ultim. voluntat. lib. 5. dub. 2. n. 57. et Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quaest. 973. per tot., praecipue n. 3. et 4.

(Ex resol. S. C. C. diei 26. Novembris 1803. Neapolitana.)

Potest quidem committens retinere stipendium vel ejus partem, si alter gratis celebret vel partem stipendii donet. Secus vero dicendum est, non posse committentes Missas ab aliis celebrandas retinere portionem aliquam stipendii ex donatione celebrantis, si interveniat conventio aliqua, etiam tacita, de relaxanda portione, ut conti-

nuetur subministratio Missarum, quae alias non esset continuanda, aut ex aliquo simili motivo, quae reddat necessariam relaxationem partis stipendii tamquam medium ad obtinendas eleemosynas, ut iisdem verbis tradit Pasqualig. loc. citat. quaest. 975. n. 5. Etenim ubi interponitur conventio, cessat libertatis donatio, et nullus subest justus titulus retinendi partem stipendii ad tradita per Lezana in sum. verb. Missa num 35., Mart. a s. Josepho in Moral. tom. 1. lib. 1. tract. 17. de Eucharist. num. 8., Leander de Sacram. tract. 8. disput. 4. num. 8.

(Ibid.)

23) Non est pretium Missae, sed sustentatio Sacerdotis.

Ponderandum est, quod, quamvis licitum Sacerdoti sit pecuniam recipere pro Missa, illam tamen recipit non quasi pretium Missae, sed in causam suae sustentationis juxta doctrinam Divi Thomae Secunda secundae quaest. 100. art. 2. ad secundum ibi: Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium Consecrationis Eucharistiae aut Missae decantandae. hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suae sustentationis; et rursus in quartum, Sentent. dist. 25. quaest. 3. art. 2., quaestiuncula 1. ad quartum et id ipsum prosequuntur Theologi recentiores Card. de Lugo de Sacram. Eucharistiae disc. 22. sect. 1. num. 13., Pasqualig. de Sacr. nov. legis quaest. 903. num. 5. et Maurus in Theolog. tom. 3. lib. 12. quaest. 218. num. 4.

(Ex resol. S. C. C. diei 29. Aprilis 1780. Civit. Castellanae.)

Vd. t. III. p. II. p. 183.

24) Quaestus cum stip. non exercendus.

Vd.: Visit. de Missae celebr.; Stipend.

(num accept. licita sit etc.? Minora; Majora; pro missis manualibus etc.; Utrum et quomodo augenda?)

25) Quaestuatio in Ecclesia.

Vd.: *Stipendium* (capsula pro eo etc.).

Pampilonen.

Administratores parochialis Ecclesiae S. Joannis Civitatis Estellae in libello, quem sub annum 1735 curarunt porrigi S. M. Clementi XII., exposuerunt, Fratres Minores Observantes Conventus S. Francisci ejusdem Civitatis usque ab anno 1733 coepisse sibi asserere jus quaestuandi eleemosynas pro Animabus Purgatorii in dicta parochiali Ecclesia privative ad ipsos Administratores et re ipsa in judicio, quod possessorium vocant, obtinuisse manuteneri in quasi possessione retinendi privative ad alios quoscumque discum eleemosynas in eum finem colligendis destinatum; quum autem iidem Administratores, quibus sub dictum annum 1733 facta fuerat ab Ordinario potestas quaestuandi in praefata Ecclesia Missarum eleemosynas pro defunctis, contenderent, malum jus a memoratis Fratribus in judicio petitorio foveri, supplicarunt idcirco Summo Pontifici, ut dignaretur antedictis Religiosis Minoribus Observantibus Conventus S. Francisci Civitatis Estellae districte injungere exactam observantiam Apostolicarum Constitutionum Sacrique Tridentini Concilii dispositionem, ita imposterum inviolabiliter injusta praetensione quomodocumque quaestuandi in antedicta eorum Ecclesia parochiali abstinerent. At precum ejusmodi cognitione ad sacrum hunc Consessum remissa assumendum hodie est examen dubiorum, quae ad calcem describentur.

Duo potissimum sunt fundamenta, quibus nituntur Administratores prae-

dicti; alterum scilicet, quod Parochus et parochialis Ecclesia, cujus jura ipsi tueri profitentur, amplum adeo jus habeat super quibusvis oblationibus et etiam iis eleemosynis, quae ad Missarum celebrationem et Animarum purgantium suffragationem erogandae traduntur, ut Regularibus et aliis quibuscumque Personis prohibere possit, ne eleemosynas et oblationes in parochiali Ecclesia, immo neque in parochiae districtu quaerant, cum ad ipsum Parochum spectet eleemosynas et oblationes ejusmodi aut in parochiali Ecclesia aut extra illam factas administrare et in pios usus a Fidelibus destinatos erogare, uti per Textus expressos in cap.: *Pastoralis* de his quae fiunt a Praelat. sin. consen. Capitul., in cap.: *Dilectus* de Ordin., tradunt *Gutierrez* Canonic. quaest. 1. lib. 2. cap. 21. num. 162., *Bellet.* disquisit. Clerical. §. 3. cap. 24. num. 30., *Amostaz.* de Caus. piis lib. 5. cap. 12. num. 60. et resolvit Sacra Congregatio in *Fulginate*. 6. Aprilis 1647 lib. 18. Decr. pag. 120.

Alterum autem est, quod jus quaestuandi eleemosynas et oblationes pecuniarias pro Defunctis et retinendi discum in saepedicta Parochiali, quod dicti Religiosi authumant sibi competere, adversetur tum Regulari Instituto S. Francisci praecipientis, ut sui Religiosi laborent et pretio suorum laborum manducent et quando non detur eis pretium laboris, recurrant ad mensam Domini petendo eleemosynam ostiatim, tum Statutis Generalibus Ordinis, quibus sub cap. 4. §. penult. ita statuitur: „Ne si permitta in modo alcuno nelle nostre Chiese, Ceppi, Banchi, o Casette per ricevere elemosine pecuniarie, benchesotto colore di Fabbriche, di quadagnare Indulgenze, o di qualunque altro pretesto, etianche non fossero per li Fratri, essendo tali cosse contrarie alla

nostra Professione, tum etiam sic juri canonico, Clemen. exivi §.: *Porro de verbor. signif.*, ubi sancitum habetur: „Porro dictus Sanctus volens Fratres suos super omnia a denariis seu pecunia esse alienos praecepit firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel interpositam personam; et infra: „Quocirca quaestus omnis pecuniae ac oblationum pecuniarum recepti in Ecclesia vel alibi, Cippi vel Trunci ordinati ad Offerentium seu Donantium pecunias reponendas, necnon quicumque recursus alius ad pecunias seu habentes ipsas, haec omnia sunt simpliciter interdicta; et denique repugnet etiam manifeste Decreto a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium negotiis praeposita jussu S. M. Urbani VIII. edito, ibi: „Abusus, quibus mederi oportebit, sunt etc., nullo modo habeant in eorum Ecclesiis vel Sacristiis aut alibi Cippos et Truncos ordinatos ad Offerentium seu Donantium pecunias nec capsulas pro eleemosynis Missarum“.

Contra vero memorati Religiosi controversum jus quaestuandi sibi conantur adstruere, primo ex concessione sub annum 1466 per Episcopum, qui tunc temporis Pampilonensem Ecclesiam moderabatur, facta, et subinde a Successoribus pluries confirmata et amplificata, secundo ex nonnullis sententiis et Decretis et praesertim ex sententia a Vicario Generali sub diem 15. Decembris 1533, qua declaratum fuit: „dictos Guardianum et Fratres fuisse et esse in possessione petendi, colligendi et recipiendi eleemosynas pro Defunctis in omnibus Ecclesiis et Monasteriis et per vicos et plateas dictae Civitatis a 40 annis circa et ultra, sine alicujus concursu, dictosque Vicarium et Beneficiatos ante monitos, per positionem dicti Bacini fuisse et esse spoliatores, adeo-

que hoc illis interdicti circumscripta eorum resolutione capitulari et dictos Fratres reintegrari“. Tertio ex concordia sub diem 28. Decembris 1534 inita, in qua Vicarius et Beneficiatae Ecclesiae Parochialis expresserunt: „piacere a tutti, e a ciascuno di loro obbedire, ed adempire la suddetta sentenza, la quale fu data per il suddetto Signore Vicario Generale a di 15. Decembre 1533“. Et quarto tandem ex consuetudine duo ferme secula attingente et ex plurium Testium depositione comprobata: his enim occurrentibus inferunt iidem Religiosi, cessare omnino debere in praesenti themate Leges illas et prohibitiones, quae nomine Administratorum ad elidendum controversum jus quaestuandi fuerunt adductae.

Omnibus itaque inspectis dignabuntur Eminentissimi PP. declarare:

I. *An Syndico Ven. Conventus S. Francisci Minoris Observantiae Civitatis Estellae liceat quaestuare eleemosynas et oblationes etiam pecuniarias pro Defunctis cum retentione Disci in Ecclesia Parochiali S. Joannis dictae Civitatis? Et quatenus affirmative;*

II. *An id competat privative etiam quoad Administratores Saeculares dictae Parochialis Ecclesiae?*

S. C. resp.

ad 1: Negative;

ad 2: Provisum im primo et amplius.

Die 15. Aprilis et 6. Maii 1740.

26) Quis recipiat?

Vd.: *Stipend.* (num accept. licita sit etc., decr. S. C. C. diei 13. Maii 1679; decr. Innoc. XII.) *Tabella missar.*

27) Quot Stipendia tot missae.

Vd.: *Stipend.* (num accept. licita sit a Sacerd. etc., a quibus infra tempus etc., decr. Urbani VIII. n. 3. et sequ. declar. n. 2.); vd. sup. p. 234 etc.